INSTITVTIONES CHRISTIANÆ PIETATIS SEV PARVVS CATECHISMVS CATHOLICORVM

AVCTORE PETRO Canisio Societatis IESV Theologo.

VILNÆ
Typis Academicis Societatis IESV
An: Dñi. 1644.

CAPITA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ compendio tradita, vt ſit veluti paruus Catechiſmus Catholicorum.

CAPVT PRIMVM. De Fide & Symbolo Fidei.

Quis dicendus eſt Chriſtianus atque Catholicus?

QVi Baptiſmatis Sacramento initiatus, IESV CHRISTI veri Dei atq; hominis ſalutarem doctrinam in eius Eccleſia profitetur: neque ſectis vel opinionibus vllis ab Eccleſia Catholica alienis adhæret.

Quibus de rebus primum docendi ſunt Chriſtiani?

De fide, Spe, Charitate, Sacramentis, & officijs Iuſtitiæ Chriſtianæ.

Quid eſt Fides?

Donum Dei ac lumen, quo illuſtratus ho-

homo firmiter assentitur omnibus quæ Deus reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit; siue scripta ilia sint, siue non sint

Quæ summa est Fidei seu omnium credendorum?

Symbolum Apostolorum in duodecim distinctum articulos.

Qui sunt illi duodecim articuli.

HI VIDELICET.

1 *Credo in Deum patrem omnipotentem: Creatorem cœli & terræ.*

2. *Et in IESVM CHRISTVM filium eius vnicum, Dominum nostrum.*

3. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*

4. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

5. *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.*

6. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

7. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

8. *Credo in Spiritum Sanctum.*

9. *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.*

10. *Remissionem peccatorum.*
11. *Carnis resurrectionem.*
12. *Et vitam æternam Amen.*

Quid sibi vult primus Symboli articulus?
Credo in Deum Patrem.

Ostendit primam in Deitate personam. Patrem scilicet cœlestem & æternum, cui nihil factu impossibile sit vel dificile, qui cœlum & terram visibilia simul & inuisibilia cuncta ex nihilo produxerit, & producta hucusque conseruat & gubernat summa bonitate & sapientia.

Quid vero secundus articulus? Et in IESVM Christum filium eius.

Commonstrat secundam in Deitate personam, IESVM Christum scilicet filium Dei naturalem vnicum suum ab æterno genitum, & Patri consubstantialem, Dominum ac redemptorem nostrum, vt qui nos perditos liberauit.

Quid porro tertius?
Qui conceptus est de Spiritu Sancto.

Mysterium proponit Dominicæ incarnationis. Quia idem Dei filius de cœlis descendens, humanã naturam assumpsit, sed

modo singulari prorsus, vt qui conceptus fuit sine Patre, ex Virtute Spiritus sancti, & natus ex Maria Virgine illibata.

Quid vero quartus?

Passus sub Pontio Pilato.

Mysterium tractat redemptionis humanæ; nam idem verus Dei filius secundum humanam illam naturam assumptam, extrema vere passus est pro nobis & peccatoribus omnibus redimendis. Vnde licet agnus esset sine macula, tamen sub Pontio præside in crucem infixus, in cruce mortuus & deinde sepultus fuit.

Quid autem quintus?

Descendit ad inferos.

Mysterium resurrectionis Christi complectitur, qui secundum animam quidem Patres è limbo liberaturus descendit: tertio vero post mortem die resumpto corpore, vi propria factus est rediuiuus.

Quid sextus articulus?

Ascendit ad cælos.

Mysterium affert gloriosæ ascensionis Christi, vt qui post expletum redemptionis nostræ opus, ad Patrem transiuit ex hoc mun-

do-

do, & cœlos sua virtute triumphator ascendit, atque in ipsa æterna Patris gloria super omnia est collocatus.

Quid septimus. Inde venturus est iudicare.

Demonstrat extremum iudicij diem, quando Christus humana in carne visibilis rursus de cœlo descendet, ac tremendum aget iudicem omnium proborum ac improborum & reddet vnicuique secundum opera eius.

Quid vero octauus?

Credo in Spiritum Sanctum.

Exhibet tertiam in Trinitate personam Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedens, vnus verus æternusque Deus est, & regnat cum Patre & Filio: & proinde cũ vtroque simul adoratur & conglorificatur.

Quid nonus articulus?

Sanctam Ecclesiam Catholicam

De Ecclesia docet quatuor nobis esse credenda Primum Ecclesiam esse vnam, nimirum in vno spiritu Christi IESV, in vna fidei & Sacramentorum doctrina, in vno capite ac rectore vniuersalis Ecclesiæ, Vicario Christi scilicet, ac Diui Petri successore Secundò, hanc ipsam sanctam esse, quia tũ

à Christo capite & sponso suo, cui per fidem & Sacramenta coniungitur, sanctificatur: tum à Spiritu sancto perpetuo gubernatur. Tertio, eandem esse Catholicam seu vniuersalem, quia toto orbe diffusa, Christi fideles omnes omnium temporum comprehendit.

Quarto & postremo, in hac ipsa Ecclesia Communionem esse Sanctorum, puta non eorum solũ qui in terris credentes peregrinãtur, verùm etiã qui carnis mortalitate exuti vel regnant in cœlo, vel illic regnaturi in igne purgatorio suorum peccatorum sordibus expiantur. Qui quidem veluti vnius corporis membra se inuicem iuuant mutuis officiis, meritis, orationibus, & sacrosancti Missæ sacrificij Sacramentorumque Ecclesiæ virtutem participant.

Quid porro decimus?

Remissionem peccatorum.

Offert præsentem Dei gratiam peccatoribus omnibus, ne quis de venia Peccatorum suorum consequenda vnquam desperet, modo in Ecclesia perseueret Catholica, & ritè eiusdem Sacramentis vtatur.

Quid autẽ vndecimus? Carnis resurrectionẽ

Mor-

Mort uos & omnes ad vitã excitandos asserit, & nouissimũ iudicij diẽ confirmat: nam ante Christi tribunal in carne rediuiui omnes apparebimus, vt recipiat vnusquisq; prout gessit in suo corpore, siue bonum siue malum.

Quid demũ postremus? Et vitã æternã.

Fidei & virtutis Christianæ præmium, beatam immortalitatem ostendit, vt certo sciamus, post hanc vitam superesse aliam longe diuersam vereque securam, beatam ac sempiternam, quæ credentibus & obtemperantibus Christo destinata sit.

Quæ est sũma omniũ Symboli articulorũ:

Corde & ore confiteor Dominum Deum quo nihil aut maius, aut sapientius, aut melius potest excogitari, eum & vnum in essentia seu natura diuina, & trinum in personis esse, vt pote patrem & Filium & Spiritum Sanctum: ita vt hi tres vnum sint vnus verus, æternus, immensus & incomprehensibilis Deus: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. Pater est conditor vniuersorum: Filius redemptor hominum: Spiritus Sanctus Ecclesiæ seu Christi fidelium sanctificator & rector. Igitur huic sanctissimæ & indiuiduæ Trinitati responden. Sym-

boli

boli tres partes præcipuæ: prima, quæ de creatione est, Patri: secunda, quæ de redemptione, Filio: tertia quæ de sanctificatione, Spiritui sancto accomodatur.

Quid est Ecclesia?

Est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub vno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernatur.

Qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt?

Primum Iudæi & infideles omnes, atque à fide apostata. Deinde hæretici, ij scilicet, qui cum baptisati sunt, contra Catholicam fidem, cum pertinacia tuentur errorem. Præterea Schismatici, qui à pace & vnitate Catholica ipsi se segregant. Postremò, qui à communione sanctorum à participatione Sacramentorum, & ab Ecclesiæ suffragijs, diuinisque officiis per Ecclesiasticam potestatem legittime excluduntur: vnde & excommunicati dicuntur. Qui omnes à Christi corpore, quod est Ecclesia, seiuncti & alieni sunt, proindeque spiritualis vitæ ac salutis expertes manent, Satanæ mortique perpetuæ, nisi resipiscant, obnoxij. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, sed

in pri-

in primis hæretici & Schismatici, non minus quàm pestes quædam exitiales, fugiendi ac execrandi sunt.

Quæ demum est simplex, breuis & recta fidei regula, qua Catholici ab hæreticis discernuntut?

Ea est, Christi fidem atquè Ecclesiæ auctoritatem integram profiteri, illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod Ecclesiæ Catholicæ pastores atquè doctores credendum definierunt. Cæterum si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus. Non enim habebit DEVM Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.

CAPVT SECVNDVM De Spe, & Oratione Dominica

Quid est Spes?

Virtus est diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectantur.

Vnde modum rectè sperandi & petendi discimus

Ex oratione Dominica quam Christus

ipse

ipse Dominus & Magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præscripsit.

Recita per partes orationem Dominicam:

Prima petitio.

Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum.

Secunda.

Adueniat regnum tuum.

Tertia

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Quarta.

Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie:

Quinta.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sexta.

Et ne nos inducas in tentationem.

Septima,

sed libera nos à malo Amen.

Quid sibi vult initium huius orationis?

Pater noster qui es in cælis.

Præfatiuncula est quæ nos memores reddit summi beneficij, quo Deus Pater per Chri-

Christum nos sibi in filios adoptiuos & hæredes cooptauit. Atque hoc dulci patris nomine prouocamur, cum ad redamandũ, tum ad precandum magna cum fiducia.

Quid explicat prima petitio?

Sanctificetur nomen tuum.

Proborum filiorum iustum & liberale desiderium: hi petunt semper & vbiq; in se alijsquè promoueri cognitionem, timorem, honorem, amorem, & cultum æternæ maiestatis, & quicquid demum ad summi optimique Patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus?

Adueniat regnum tuum

Petimus gloriam regni cœlestis: æternæque fælicitatis nobis donari, vt citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertia? Fiat voluntas tua.

Petimus diuinæ gratiæ nobis opem adesse vt Pàtris voluntatem in terra, sicut beati omnes in cælo faciunt, sincere, alacriter & constanter adimpleamus.

Quid quarta?

Panẽ noſtrũ quotidianũ da nobis hodie

Petimus suppeditari nobis quæ ad vitã siue corporis, siue animi fouendam & su-

ſtentandam ſpectant, vt victum & veſtitũ, verbum Dei, & Eccleſiæ Sacramenta

Quid quinta?

Et dimitte nobis debita noſtra

Petimus veniam ac remiſſionem peccatorum, parati viciſſim remittere quod in nos alij peccauerint.

Quid penultima?

Et ne nos inducas in tentationem.

Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate diuina virtute fulciri atque aduerſus Mũdum, Carnem Dæmonemq́; defendi, ne quocunquè modo tentationi ſuccumbentes, peccato conſentiamus.

Quid ſeptima & poſtrema petitione?

Sed libera nos à malo.

Petimus Dei benignitatem, qua ipſe nos liberet, & vindicet à miſeria tum corporis, tum animi, ſiue in hac vita quod ſaluti noſtræ congruit, ſiue in futura. Et additur Amen, hoc eſt fiat ſiue fiet, vt ſpem deſideriumque mõſtremus accipiendi ea quæ ſeptẽ his petitionibus continentur.

Quæ ſumma eſt priorum orationis huius petitionum?

Priores quatuor oſtendunt, quæ hic bona

ſperare

sperare ac petere debemus: inter quæ primũ ac summum est, diuinæ Maiestatis honor & gloria, proximum, nostra felicitas, huic accedit Deo debita obedientia; postremum est corpori animæque sustentatio necessaria: Hæc summatim continentur prioribus quatuor.

Quæ summa est reliquarum petitionũ?

Tres posteriores continent mala quæ deprecari debeamus, vt sunt peccata quæ nobis Dei regnum præcludunt, tum tentationes, quæ, nisi ope diuina protegamur, sua vi ad peccandum nos pertrahunt: ac postremo huius ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationẽ Angelicã recitas VIRGINI MATRI?

Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen.

Vnde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?

Primum ab exemplo Angeli Gabrielis, & sanctæ Elizabethæ: deinde ex vsu ipso, & consensu Ecclesiæ Catholicæ.

Quem vero fructū adfert hæc ſalutatio?

Sacroſanctæ Virginis & Dominicæ incarnationis gratiam, & æquè ſalutarem nobis refricat memoriam, ac præterea monet, vt gratioſæ virginis fauorem atque apud Deū intercesſionem nobis conciliemus.

Quid diſcimus ex hac ſalutatione?

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, vt quod Dei donis ac virtutibus ampliſſimis referta, quod eadem virgo & mater, quod inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quod Regis regum Chriſti Dei & Domini noſtri parens, ac proinde inuentrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPVT TERTIVM
De Charitate & Decalogo.

Quid eſt Charitas?

Infuſa à Deo virtus, qua Deus propter ſe diligitur, proximus autem propter Deum

Quot ſunt Charitatis præcepta?

Duo principalia, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex & tota mēte tua, & ex totis viribus tuis; hoc eſt primum & maximum mandatum. Secundum verò ſimile huic: Di-

liges

liges proximum tuum sicut te ipsum. In his præceptis uniuersa lex pendet, & prophetæ.

Quo indicio se prodit Charitas erga Deum?

Si eius obserues mandata. Hæc est enim Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt. Et Christus ipse docet; qui habet mādata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.

Quomodo se prodit, & agnoscitur Charitas erga proximum?

Charitas patiens est, benigna est, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Cur præcepta Decalogi decem ponuntur?

Et si duo sunt Charitatis præcepta, in quibus plenitudo legis versatur: tamen præcepta Decalogi idcirco adyciuntur, vt perspicuè magis omnes intelligant, quæ ad charitatē tū Deo, tū proximo exhibendā pertinēt.

Quæ sunt præcepta Decalogi?

1 *Ego sum Dominus Deus tuus. Non ha-*

bebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, vt adores illud.

2. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei frustra.*

3. *Memento vt diem sabbati sanctifices.*

4. *Honora Patrem tuum & matrē tuā, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

5. *Non occides.*

6. *Non mœchaberis.*

7. *Non furtum facies.*

8. *Non loqueris contra proximum tuum*

9. *falsum testimonium.*

10. *Non concupisces vxorem proximi tui Non domū, non agrum, non seruum, non ancillā, non bouē, non asinum & vniuersa quæ illius sunt.*

Quid sibi vult primum præceptum? Non habebis *D*eos alienos.

Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum deorum, artem magicam vel diuinatoriam, obseruationes superstitiosas, omnem deniq; cultum impium: e diuerso autem requirit vt vnū Deum optimū Maximum

mum credamus colamus, & inuocemus.

Licetne Sanctos colere & inuocare?

Licet, non ad eum quidem modum, quo iubemur Deum colere & inuocare, tanquã creatorem & redemptorem, & largitorẽ bonorum omnium: at longe inferiori gradu, nimirum veluti dilectissimos Dei amicos nostrosque apud ipsũ intercessores, & patronos.

Huic ne præcepto aduersatur
Vsus imaginum Christi ac Sanctorum?

Nequaquam, quia præcepto huic, Non facies tibi sculptile, causa mox additur, vt adores illud, videlicet ethnicorum more, qui falsorum deorum statuas, simulachra, & idola sua impiè colunt. Nos autem in imaginib9 Christũ & Sãctos quos repræsentãt pio à maioribus tradito more veneramur.

Quid Secundũ prohibet? Non assumes
nomen Dei tui in vanum.

Vetat abusum diuini nominis, & irreuerentiam quæ committitur à periuris, blasphemis, per Deum, sanctos, vel creaturam aliquam, absque graui causa veritate ac reuerentia iurantibus.

Quid imperat tertium præceptum?
Mementõ vt diem Sabbati sanctifices

Vult Sabbatum, ſeu diem feſtum in Eccleſia piis operibus celebrari; quod fit adeundo templum, & audiendo Miſſam. Laborare autem hoc tempore & occupationibus deditum eſſe ſeruilibus, plane interdicit.

Quid iniungit quartum Honora patrem & matrem?

Vt his qui ſecundum Deum vitæ noſtræ ſunt auctores, reuerentiam obedientiam opemque præſtemus, ac omni demum officij genere illis ipſis ſatisfaciamus. Deinde iubet, vt magiſtratus cum ciuiles, tum Eccleſiaſticos, parentum & maiorum loco habeamus, illorum dicto lubentes pareamus, & reuereamur poteſtatem, atque auctoritatẽ

Qua ratione poteſtatẽ & auctoritatẽ Eccleſiaſticam reuerebimur?

Videlicet ſi ſacris & œcumenicis Conciliis, ſi receptis Apoſtolorum, ac Patrum inſtitutis ac decretis, ſi probatis maiorum conſuetudinibus, denique ſi ſummis Eccleſiæ paſtoribus ac Pontificibus tribuerimus, quam ſingularem illis debemus, obſeruantiam obedientiamque. Vbi vel maxime peccant qui cultum diuinum & ſanctiones æremoniaſq; Eccleſiaſticas conuellunt atq;

conte-

contemnunt: tum qui Synodis & pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum iura & templa inuolant, ſacra prophanantes.

Quid ſibi vult quintum præceptum? Non occides.

Prohibet vim externam, cædem, & iniuriam omnem; quæ corpori & vitæ proximi adferri poſſit. Ad hæc iram, odiũ, rancorẽ, indignationem & quoſuis affectus ad proximi læſionem quouis modo ſpectantes, excludit & penitus reſecat.

Quid vetat ſextum? Non mœchaberis.

Fornicationem, adulterium & obſcœnos illegitimoſque concubitus, tum quicquid honeſtati, verecundiæ, & ingenuo pudori aduerſatur. Nam & qui viderit mulierẽ ad concupiſcendum eam, iam mæchatus eſt eam in corde ſuo.

Quid præcepto ſeptimo cauetur? Non furtum facies.

Omnis rei alienæ illicita contrectatio & vſurpatio, vt fit in furto, rapina, vſura, lucris iniuſtis, dolis malis & iniquis contractibus, demum quibuſuis cõmutationibus, & diſtributionibus, quibus Chriſtiana Charitas læditur, & proximus circumuenitur.

Quid

Quid in octauo agitur? Non loqueris contra proximũ tuũ falsũ testimoniũ.

Interdicitur testimonium falsum, mendacium, & omnis linguæ contra proximum abusus: vt est in susurronibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus, ac periuris.

Quid postrema duo præcepta? Non concupisces vxorẽ, nec rem proximi.

Vetant concupiscentiam vxoris ac rei alienæ, quoniam quod alienum est, non solùm iniustè & pro libidine nostra occupare non licet, sed ne voluntate quidem ad appetendum ferri debemus: ita vt nostris rebus contenti absque omni inuidia, æmulatione & cupiditate viuamus.

Quę summa quisve finis præceptorum Decalogi?

Nimirum vt Deus & proximus syncere diligantur: cuius rei symbolum fuit in duas tabulas decalogi à Deo facta distinctio. In priore quidem tabula tria docentur, quæ ad Charitatem Dei: secunda vero septem quæ ad dilectionem proximi spectant, explicatur

Qua ratione præcepta primæ tabulæ Charitatem Dei edocent?

Quoniam

Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui honorique Dei maximo contraria, idololatriam, apostasiam hæresim, periurium superstitiones, admonent autem, verum purumque Dei cultum corde, ore ac opere fideliter exhibendum esse, quod vbi fit, vtique solus verus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ charitatem proximi explicant?

Eo ipso, quod nostrum erga proximum officium ordine complectuntur, videlicet vt non solum maiores honoremus, sed etiam opere, verbis, voluntate prodesse omnibus, & nocere nemini studeamus, siue corpus proximi, siue persona iuncta coniugio, siue bona fortunæ considerentur.

Quæ summa est præceptorum De proximo diligendo?

Hæc ipsa nimirum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia vero quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.

Sunt ne præter Decalogum alia præcepta

Sunt vtique nec solum vtiliter illa, verum etiam necessario obseruanda: præsertim Ecclesi-

clesiæ præcepta, cui veluti omnes sanctissimæ matri sponsæque Christi aures & mentes præbere Catholici filij omnes debemus.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ?

Præcipua quinque numerantur.

1 *Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.*

2. *Sacrum Missæ officium diebus festis reuerenter audito.*

3. *indicta certis diebus ieiunia, & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato.*

4. *Peccata tua Sacerdoti proprio aut alteri cum eius facultate singulis annis confitetor.*

5. *Sacrosanctam Eucharistiam vt minimum semel in anno idq; circa festum Paschæ sumito.*

Quem fructum affert horum obseruatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primum fidem, humilitatem, & obedientiam Christianam exercent, deinde cultum diuinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conseruant, & ornant, eoquè mirificè conferunt, vt decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur, prӕterquam

quod

quod æternam vitam meremur, si illa ex charitate obseruemus.

CAPVT QVARTVM.

De sacramentis.

Quid est Sacramentum?

Est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum. Aliud est enim quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus: signũ videmus externũ, occultã verò & spiritualẽ gratiã, quæ res dicitur Sacramẽti, accipimus

Quot sunt Sacramenta?

Septem quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica sẽper cõseruata ad nos vsq; peruenerunt. Sunt autem hæc: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium.

Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Primùm quidem, quia á Deo & Christo Domino in lege noua instituta, deinde, quia gratiam DEI nobis necessariam, eamque vberrimam non modò significant, verum etiam ceu vasa quædã sacra diuini spiritus continent, & ritè suscipientibus conseruãt,

ad hæc, quoniam aduersus peccatum præsentissima sunt remedia, seu diuina medicamenta, nostri Samaritani. Postremò quia bonis gratiam habentibus, eam ipsam conseruant, augent, amplificant.

Cur Sacramentis cæremoniæ solennes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profectò & grauibus de causis: Primùm, vt Sacramẽtorũ administrationẽ spectantes admoneantur, nihil hîc prophanũ, sed arcana quædã & diuinis plena mysterijs geri, quæ singularẽ reuerentiã exigant: Deinde, vt Sacramẽta ipsa accedentibus cultũ promoueant interiorẽ, quem Deus præcipuè postulat & cuius veluti signa, testimonia, & exercitia sint cæremoniæ: præterea vt Sacramẽta ministrãtes maiori cũ dignitate & fructu munꝰ suũ obeãt dũ veteris Eccl: institutis Sanctorũq; Patrũ vestigijs fideliter inhærẽt.

Constat etenim huiusmodi cæremonias plerasque inde à temporibus Apostolorum per continuam successionem ad nos vsque in Ecclesia perseuerasse. His demũ retinetur honesta religiosaque disciplina, his fouetur publica tranquillitas, quæ sæpè rituum externorũ aut immutatione, aut innouatione grauiter interturbatur.

Quid

Quid eſt Baptiſmus.

Primũ, maximèq; neceſſariũ legis nouæ Sacramentũ, quod ſemel in aqua cõfertur, quo ſpiritualiter renaſcimur, & peccatorum plena remiſſione percepta, in filios Dei adoptamur, hæredeſque vitæ cœleſtis adſcribimur.

Quid eſt Confirmatio?

Eſt Baptizatis collatum ab Epiſcopo Sacramentum, in quo per ſanctum Chriſma, & verba ſacroſancta confertur gratia & robur ſpiritus additur, tũ ad firmiter credẽdum, tum ad nomen Domini, quando ſic eſt opus, liberè confitendum.

Quæ ſunt præcipua de Euchariſtiæ doctrina Capita ſcitu neceſſaria?

Quinque: Primum eſt eius veritas. Alterũ eſt panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem conuerſio. Tertium adoratio debita. Quartum eius oblatio. Quintum & poſtremum eiuſdem ſacramenti ſumptio.

Quę eſt veritas Sacramẽti Euchariſtię?

Nimirum hæc, Chriſtum verum Deum ac hominem vere ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adeſſe, vbi Sacerdos ritè ordinatus panẽ & vinũ verbis illis arcanis & à Chriſto traditis, conſecrârit,

Quæ ſit conuerſio per verba illa, quibꝰ hoc Sacramentum Sacerdos cõſecrat?

Ea, vt per ipſa verba, operante Chriſto, panis, & vinum in corpus & ſanguinem Dominicũ conuertantur, ac tranſſubſtantientur, atq; ita panis & vinum eſſe deſinant in Euchariſtia.

Quę ſacramẽto huic debetur adoratio?

Eadem ſanè quæ Chriſto Domino æterno Deo debetur, quippe quem illic præſentem agnoſcimus. Ideoq; religioſo cùm corporis, tum animi cultu, vt par eſt, hoc Sacramentum ſupplices veneramur.

Quare cenſetur hoc Sacramentũ oblatio?

Quia eſt legis nouæ ſacrificiũ, & oblatio munda, cruentis legis Iudaicæ ſacrificiis incruenta ſuccedens, quæ pro viuis ac defunctis Chriſti fidelibus in Miſſa offertur ac celebratur. Vnde fit, vt Euchariſtia non ſolùm à fideli populo ſumatur, ſed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ paſſionis ac mortis continuam commemorationem quotidiè immoletur, ſemperque oblata fuerit in Eccleſia Dei.

Quid in Sacramenti huius Sumptione ſeruandum?

Quod

Quod fides & authoritas sanctæ matris Ecclesiæ docet, videlicet Christiano laico sat esse, sub vna specie panis totum Christũ accipere, & ex hac sumptione consequi, vt qui non indignè accesserit, ingentem DEI gratiam ac æternam quoque vitã obtineat, qui verus ac integer Sacramenti huius fructus existit: eòq; fit efficacior, quo sæpius sacra & salutaris illa communio dignè iteratur.

Quid est Pœnitentia?

Est secunda post naufragium tabula, & necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur & à Sacerdotibus tribuitur.

Quot sunt partes & Actiones Pœnitentiæ?

Tres, Contritio, vel dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitã meliorẽ aspirãtis.

Confessio, seu peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio: & Satisfactio denique seu vindicta punitioq; criminum de se ipso sumpta ad præstandos fructus dignos pœnitentiæ.

Quid est extrema vnctio?

Est Sacramentum quo ægroti per oleum sacrum & verba Christi in magnis morbi molestiis releuantur, vt feliciùs ex hoc

mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Quid est Ordo?

Est Sacramentũ, quo Sacerdotibus aliisq; ministris Ecclesiæ potestas confertur ad Ecclesiastica munia rite decẽterq; obeunda.

Quid postremò est matrimonium?

Sacramentum quo vir & mulier legitimè contrahentes, indiuiduam vitæ societatem ineunt, gratiâque diuinâ donantur, tum vt soboles honestè & Christianè suscipiatur ac educatur: tum vt fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum euitetur.

Estne inter Sacramenta discrimen?

Est sanè, Baptismus enim, Confirmatio & Ordo semel collata, nunquam iterantur sicuti cætera. Item Baptismus necessariò suscipitur ab omnibus. Eucharistia à ratione vtentibus, & à relapsis Pœnitentia. Arbitrarium est autem vti reliquis, modo nullum contemnas, aut, cum illud sumendi tempus est, negligas.

CAPVT QVINTVM.

De Officijs Iustitiæ Christianæ.

Quot sunt officia Iustitiæ Christianæ?

Hæc duo: declina à malo siue peccato, & fac bonum officium Iustitiæ.

Qui poteſt homo cauere peccatũ & bonũ facere, ſeu præſtare Iuſtitiam?

Non id per ſe quidem ſed Chriſti gratia ac ſpiritu inſtructus Chriſtianus poteſt ac debet quantum huius quidem vitæ ſtatus admittit, iuſtè viuere & legem implere

Quotuplex eſt peccatum?

Duplex: Originale, & Actuale.

Quid eſt Originale?

Quod ab ortu nobis congenitum, per Baptiſmum in Chriſto condonatur.

Quid eſt Actule?

Dictum, factum, vel concupitum contra vel præter legem Dei aut Eccleſiæ.

Quotuplex eſt Actuale?

Duplex: Mortale, ſic dictum, quia mortem animæ præſentem adfert: anima enim quæ peccauerit ipſa morietur. Et veniale, vt cui venia facilè tribuitur, & ſine quo ne iuſti quidem viuunt.

Quib9 gradib9 ad peccatũ deducũtur?

His tribus: Suggeſtione, delectatione, conſenſu, ſeu deliberata voluntate peccandi.

Qui ſunt ſupremi gradus peccantium?

Eorũ qui ſcientes ac prudentes ex mera

pec-

peccant malitia, qui etiam de peccato ipso gloriantur, & qui benè monentibus obstrepunt: ac salutaria consilia prorsus cõtemnũt.

Quare peccatum fugiendum?

Quia Dominũ Deũ offendit, summũ bonũ eripit, & sũmũ affert malũ peccanti, dũ diuinã tollit fruitionẽ nũquã recuperandã & pœnas ærumnasq; homini accersit sẽpiternas.

Quæ dicuntur peccata capitalia?

Illa; ex quibus veluti capitibus & fontibus omnia alia peccata proficiscuntur.

Quot sunt peccata Capitalia?

Septem: Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia.

Qua ratione vitari & vinci hæc peccata possunt?

Si Iesu Christi gratiæ cooperemur, peccatorum damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.

Quæ virtutes peccatis capitalibus aduersantur?

Hæ septem, Humilitas, Largitas, Castitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Deuotio, seu sedula pietas.

Quæ peccata in Spiritum ſanctum committi dicuntur?

Ea quæ ſuâ malitiâ ſic diuinam excludunt gratiam, vt neque in hoc ſeculo, niſi ægrè admodum neq; in futuro remittantur.

Quot ſunt peccata in ſpiritũ ſanctum?

Sex: Præſumptio de miſericordia DEI, vel de impunitate peccati, Deſperatio, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ charitatis inuidẽtia, Obſtinatio & Impœnitẽtia.

Quæ peccata in cœlũ clamare dicũtur?

Quæ per ſe vehementer abominanda ſunt, & apertè humanæ charitatis iura violant, vnde vindictam clamare perhibentur, & horrendis ſæpe modis in hac vita diuinitus vindicantur.

Quot ſunt peccata in cœlũ clamantia?

Hæc quatuor, Homicidium voluntarium: peccatum Sodomiticum, Oppreſſio pauperum, viduarum, atque pupillorum, demũ merces operariorum defraudata.

Quæ peccata dicuntur aliena?

Ea quæ ab alijs quidem committuntur, ſed nobis interim authoribus, vel quoquo modo adiutoribus, aut ſaltem non impedientibus, vt idcirco nobis etiã imputentur.

Quot

Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

Nouem his modis: Consilio, iussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentia culpæ alienæ, participatione, & praua facti alieni defensione.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea quæ homines secundum carnem viuentes, & à Dei filiis spiritualibus degenerantes committere solent.

Quæ sunt opera carnis?

Paulus ea recenset in hunc modum. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt. Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Estne satis Christiano malum fugere, & à peccato declinare?

Nequaquam, sed præterea bonum agere, & virtutes exercere necesse est, alioqui scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

Quid boni faciendum est Christiano?

In genere quidem, quicquid boni lex naturalis, diuina vel humana præcipit vel ostendit: in specie vero pro sua quisque vocatione præstare officium & acceptæ DEI gratiæ cooperari cum gratiarum actione debet. Omnis enim arbor, quæ non facit fructũ bonũ exscindetur, & in ignem mittetur.

Quæ sũt prȩcipua bonorũ operũ genera

Ea quibus sobriè, iustè, pièq, viuitur in hoc seculo, & per quæ itidem iusti magis magisque iustificantur & sancti in dies sanctificantur.

Quotuplicia sũt hæc bonorũ operũ genera

Triplicia: vt potè Ieiunium, Eleemosyna seu misericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.

Quis est fructus bonorum operum?

Habent ea promissionem ac mercedem huius & æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conseruant & augent: denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant.

Quid est Ieiunium?

Est certis diebus iuxta morem & prascri-

ſcriptum Eccleſiæ, carnibus abſtinere & ſaltem vnica cibi refectione in die contentum viuere frugalius. Sed ſi generatim hoc nomen accipias. Ieiunium eſt corporis quædam caſtigatio piè ſuſcepta, vt vel caro ſpiritui ſubiiciatur, vel obedientia exerceatur, vel DEI gratia impetretur.

Quid eſt Oratio?

Eſt mentis in Deum eleuatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisque petimus, vel Deo benedicimus.

Quid eſt Eleemoſyna ſeu miſericordia?

Eſt beneficium, quo alterius miſeriæ ex commiſerationis affectu ſubuenimus.

Quotuplex eſt genus Eleemoſynæ, ſeu miſericordiæ?

Duplex: alia quippe ſunt opera miſericordiæ corporalia, alia verò ſpiritualia; quoniam vel ad corporalem vel ad ſpiritualem miſeriam proximi ſubleuandam ſpectant.

Quot ſunt opera miſericordiæ corporalia?

Septem: Eſurientes paſcere, potum dare ſitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuiſere, hoſpitio peregrinos ſuſcipere, mortuos ſepelire.

Quæ ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia?

Sunt & ipsa septem; ut peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere.

Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?

Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum est, Fidem & Spem & Charitatem; præcipuæ sunt Cardinales, quæ Christianos, tum primis decent.

Quę dicuntur Virtutes Cardinales?

Quæ tanquam fontes aliarum & cardines, omnẽ honestæ vitæ rationem continent.

Quot sunt virtutes Cardinales?

Quatuor. Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo; quibus in Christo cõsequitur homo, ut prouidè, iustè, temperatè, ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Quæ dicuntur dona Spiritus Sancti?

Septem illa quæ super Christum requieuisse propheta testatur; & quæ ab ipso ceu fonte omnis gratiæ, in alios deriuantur: ut donum sapientiæ, donum intellectus, consilij, scientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Quæ nam ſunt illa, quæ fructus Spiritus vocantur?

Ea, quæ pij ſecundùm ſpiritum viuentes operantur, & per quæ ſpirituales à carnalibus dignoſcuntur.

Qui ſunt fructus Spiritus?

A Paulo Apoſtolo ſic enumerãtur: Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.

Quæ dicuntur beatitudines Euangelicæ?

Illæ, propter quas in Euangelio etiam hi qui miſeri prorſus ac infelices videntur, beati ac felices pronuntiãtur.

Quot ſunt Euangelicæ beatitudines

Octo, quas ita Chriſtus in monte tradidit.

1. *Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cœlorum.*
2. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*
3. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*
4. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*
5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Beati-

6. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

7. *Beati pacifici, quoniam filij DEI vocabuntur.*

8. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Quę dicuntur Euangelica consilia?

Videlicet, quæ per Euangelium non tanquam ad salutem necessaria, sed veluti suscipientibus magis expedita atque vtilia à Christo non præcipiente quidem, sed consulente proponuntur.

Quot sunt Euangelica consilia?

Principalia tria sunt: nimirum, Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur.

Quæ hominis nouissima dicuntur?

Ea, quæ homini ad extremum accidunt. vt Mors, Iudicium, Infernus, & Cœlestis gloria; de quibus ita dicit Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.